

let. vid. de hac voce *Vossius Lib. I. Instit. Orat. pag. 39. & in Etymologico b. l.*

§. XXX.

Cum usus igitur, hanc etiam in principiatum intulerit malignitatem, ut quemadmodum tyrannus hodiè, scelestissimum abusum majestatis, hoc, suspicionem abnegatæ Trinitatis, involvat atque innuat; præstat omnino ad hanc evitandam *κακωφονία*, Aristotel, hîc sectari *ἀκριβείαν*: Qui scilicet, in *VII. Categor.* expressè asserit, ut in correlati defectu, talis, à relati nomine derivetur notio, quæ omnia illa, ad quæ relatum refertur, complectatur, & ita, ut sicuti relatum ad ipsam, ita hæc, ad relatum referatur reciprocè. Quocirca convenientissime etiam, juxta accuratissimum tum *Clarissim. Scheibleri*, tum Reverendum maximè, Nostratum Theologorum assensum, æque Spiritus Sanctus ac Filius, denominantur periphrasticè: Nimirum, ut *Filius* enuntietur, *quod sit is, cujus principium est Pater, per aternam generationem, & Spiritus Sanctus, quod sit is, cujus principium, est Pater & Filius, per spirationem indivulsam ac sempiternam.* Hac enim circumlocutione verè euphonica, tum omnis in divino Trilogio evitatur malignitas, tum metuenda quæcunqve, aptissime præcavetur ambiguitas. Cum qua circumlocutione deniqve, vel, eâ potius expressô verò omnium Principio, velut optimo epiphonemate, nostræ huic exili coronidem aptabimus diatribæ: Satis habentes superqve, nos in ineffabili illa delineanda origine, mutum æque ac mutilum, Timantis imitatos esse exemplum: Quo scilicet, quod æq; pro mysterii Augustissimi, consignare non potuimus eminentiâ, vel breviori compendio, vel silentii Pythagorici, indicavimus velo. Nulla enim, adeò vel disertâ lingua, vel prompta penna est, quæ hujus originis penetralia, convenienti exæquare possit evidentia. Nos ipsi, dum deficientem hic sistere tenemur calamum, candidè simul, hoc clarum illius Theologi, asserere cogimur præconium: *Quod totum licet mare terrenum sit atramentum; membrana candidissima sit totum cælum; sint omnium arborum frondes calami: Sint Scriptores omnes Angeli, hoc tamen nunquam poterunt (principium infinitum) scribendo complecti.*

Huic Trinuni Principio sit sine fine
Laus atque Gloria.